



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis undecimâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXVII.

M. AUGUSTINO THOURET, è Regiâ Societate Medicâ Parisiensi pro Epidemiis institutâ, Doctore Medico, Præside.

An color sanguinis à vi vitæ?

I.



UM neque corpori suppetat humor alibilis, neque per destinata cola fluant liquores secretorii, nisi anteà eorum materies vasis recepta rubris, in sanguinem mutata, communi fluctu ad varias partes appulsa fuerit; nullum certè in corpore fluidùm sanguine dignius videbitur, cujus principia, naturam, formationem,

mutationesſque, aſſiduo labore exquiramus. Ut enim ex undis circumfluitantibus camporum vita viget & naſcitur ornamentum, ſic ſanguis fons vitæ perpetuus, ſingulis viſceribus laticem nutritium amicè largitur, & totum corpus ſanitatis flore condecorat. Ille dùm fluit purus, ſua cuique parti manat vita, vis & alacritas. Verùm ſi quas irroret cruor impurâ fetus ſpurcitie, vis in eis deficit, deeſt vitalis actionis vigor, imbecillia torpent viſcera, functionum perturbatur ordo, moxque vita ipſa ſummum in diſcrimen adducitur. Etenim quò magis illius eſt pretioſus nitor, quò ſublimior illius uſus, eò perverſus idem majores agit tragœdias.

Hujus-ce laticis genuina indoles diù latuit tum Medicos, tum chemiſtas. Recens verò lux chemica, quibus hic obducebatur, fugavit tenebras; cauſa tamen undè ſuus ei color advenerit, denſiſſimâ adhucdùm involvitur caligine. Verùm quæcumque ſit ruboris materies nondùm cognita, unum & laboribus præeſſe debet, & maximè intereſt Medico perpendiſſe, quibus ſcilicet viribus agentibus enaſcatur. Iſtud quæſitum demonſtrabunt mutationes ſanguinis variæ, earumque obſervatæ leges; tùm quid diverſitatis in hujus colore deprehendatur inter varia animantium genera, quid inter eorum ſpecies, quid in variis vitæ conditionibus, quid pro ætate, ſexu, temperamentis, ſanitate, morbis. Ità enim diverſam vitæ intenſitatem ſequitur ruboris intenſitas, ut nulla alia efficiens cauſa aſſignari queat, præter vitalem vim in actione ſitam, quam regit ſenſus. Præmiſſis itaque variis autorum de colore ſanguinis opinionibus, noſtram de vitæ virium principatu proponemus & viciſsim demonſtrare ſuſcipiemus.

I I.

CIRCA colorem ſanguinis duplex oritur ſententia, nùm ſcilicèt humor ille principium ſpeciale tingens in ſe contineat, nùm color ejus à ſolâ molecularum fluidi elementarium phyſicâ diſpoſitione ſit repetenda. Primæ fautoribus opinionis arriſerunt ferrum, phlogiſton, nitrum aereum, Gaubii principium reſinoſum & alia quædam principia de quibus hìc agere ſupervacaneum.

Ferrum in carbone ſanguinis detegit magnes attrahens, lotionique infuſa nucis gallarum ſolutio, aut commixtio alkali, ut aiunt, *phlogiſticati*, cæruleum Boruſſiacum præceps agentis, vel demùm efformata cum acidis martem penetrantibus ſalia. Sed quid indè? nonne ferrum alibi reperitur? in ſero ſcilicet, in lymphâ, in fibroſâ parte. Nonne in bile, in urinâ, in ipſiſmet ſolidis partibus; nonne in variis vegetantibus? Quis verò tantam colorum diverſitatem ab eo principio unico pendere crediderit? Quis ſic à marte ſuo tingi cruorem, ut illo addito color adſit, ſublato tollatur? Neque litem dirimunt chalibæatorum effectus, quorum uſu ſanguis anteà ſeroſus, tenuis, decolor, inſpiſſatur, rubeſcit, & novum induit honorem. Ferro ſæpè utuntur diù chloreticæ virgines, nec immutatur ſanguis. Ni vitam languentem excitet, necquicquam ingeritur. Quin imò dùm ſanguis marte reficitur, ſimiliter alia poſſunt agere aguntque medicamenta, modò efficaci ſtimulo vim tonicam fibrarum ſopitam exſuſcitent; neque poſſis prætereà majorem ferri copiam in ſanguine rubro, quàm in pallido deprehendere.

Quid de phlogiſto dicam? de nullo principio fama major, nullum notum minùs. Protæus multiformis perſpicaciores deludit oculos, ſola illud attingit imaginatio. Nunc fingitur ſiccus, nunc in oleoſo ſtatu deprehenditur, modò habetur purus ignis, & aliàs ab illo differt; quidam illud ſibi ſemper conſtare crediderunt; deſcribitur, colligitur, tranſvehitur, ſeparatur à corporum viſceribus, eis denuò remiſcetur, ſenſus tamen omnes fallerê dicitur. Id olim conjecêre quidam, admiſêre dein ferè omnes, rejiciunt nunc plurimi. Quâ igitur baſi fulta ſtant eorum argumenta, qui formatæ ſanguinis purpuræ, ambiguo corpori decernunt honorem.

Leeuwenhoeck armatus microſcopio, rubros in ſanguine detegit globulos, qui flavas in ſphærulas mox abeunt, undè plurimis ſphærulis inter ſe coadunatis globulum rubrum componi exiſtimat, indeque colorem ſanguinis eſſe deducendum. Hanc calcanti viam Boerhaavio, novi arriſerunt calculi, quibus globulum rubrum ſex ſeroſis, ſerorum ſex lymphaticis conſtare affirmatur. Sed globulus ſanguinis quantumvis attenuetur, colore quocumque donatur; ſero ineſt aliquis

color, cujus causam nec Leeuwenhoeck, nec Boerhaavius assignant. Tantorum virorum ingenio atque autoritate ducti ne cæcutiamus. Causam materialem nondùm cognoscere datum est, & licèt demùm discussis tenebris, ejus natura patesceret; nihil indè proficeretur, nisi præterea ipsam informaret & in debitum coctionis gradum deduceret efficiens causa, animalis attenuatio : huic igitur immorabimur. Hanc solis vitæ viribus deberi mox patebit, ubi priùs exposita fuerint earum natura, gradus & activitas.

III.

VITA constat actione & sensu ; sensus actionem regit ; actio producit motum. Motus considerari potest vel in solidis agentibus, vel in fluidis impulsis. Hic vitam alit, alter eam constituit; & triplici perficitur actione, tonicâ nempè, musculari, & elasticâ.

Tonica vis cunctis insita partibus, quædam tensio est, sic à vitâ sobolescens, ut nec eam mechanici nexus efficiant, nec solutio continui dirimat, nec vitæ unquàm superesse videatur.

Actio muscularis tota est in successivis contractionis relaxationis que vicibus, sive fiat pro voluntatis nutu, sive pro occulto quodam agente stimulo.

Elaterium universis naturæ corporibus commune, ea est proprietas quâ compressa distenta ve, se se in pristinum statum restituere nituntur.

Ex triplicis hujus-ce actionis commercio major exurgit organorum activitas. Verùm inane foret absque sensu illud consortium, neque vitæ possent peragi munia. Sentiendi autem vis in eâ facultate consistit, quâ fibræ stimulos possunt percipere, sive ex eorum actione moderatâ voluptas quædam & alacritas oriatur, sive ex intensâ nimiùm sequatur dolor & irritatio. Iis absque facultatibus vita consistere nequit, ex iis omnia pendent vitæ phænomena, hæ simul unitæ & interse mirè consentientes, *vim vitæ* constituunt.

Porrò vitam duplici modo debemus intueri. Altera generalis dici poteſt, unitis conſtans & vigens partium omnium viribus, alia peculiaris, cuique viſceri propria, ſpecia'em agendi vim ac normam pro ſingu'o organo ſibi vindicans. Hinc ſuus unicuique nutritionis & incrementi modus, hinc nata motuum ſenſuum que diverſitas, hinc varia humorum natura, diverſæ qualitates. Hinc demùm ſanguis, humorum omnium fons & origo, ſuam mutuatur indolem, ſuum que ruborem induit. Sic in regno vegetabili multiplices in eodem ſolo plantæ creſcunt ſtructurâ & humoribus variæ, licet eorum intima ſimilis ſubierit ſuccus.

I V.

CANALES membranacei, flexiles, contractiles, elaſtici, ſenſu peculiari donati, ſanguineum laticem ex alveo communi latè diffundentes, non ſimplicem ei motum imprimunt, ſed ex impellente cordis vi & partium organicarum vitali reactione compoſitum. Indè incœptus per majores arterias, per minora vaſa continuatur progreſſivè circuitus; indè tritus & miſcela partium ſanguinis chylique per ſubclaviam affluentis; indè actione exorti caloris, & colliſione aſſiduâ, intima principiorum attenuatio; indè ortâ preſſione inter oppoſitas actionis reactionis que vires, naſcitur addenſatio; indè ſocietate virium ſtabili perennique motuum lege, conſtans addenſati attenuatique humoris coctio perficitur. Tali potentiarum concurſu conficitur hæmatoſis, & dùm ab intemerato hujus ſyſtematis ordine, tùm toti maſſæ, tùm ſingulis partibus accedit perfectio, ſimul & ruboris ab iiſdem cauſis pendet non ſolùm intenſitas, ſed formatio.

Tenella pulli mox fœcundati moles ſolâ ſcatet pellucidâ lymphâ, ſubvirideſcenti tantùm innatat albumini. Nullam incubationis tempore materni ſanguinis ad illum devenire moleculam, luce clarius eſt. Attamen bis deni vix effluxêre dies, jam perficitur vaſculoſum pulli ſyſtema, jam artus univerſos alluit rubicundus humor, mox que indutus ſanguinis indolem.

Poſt multiplicem diuturnam que effuſionem ſanguinis, quem ſan-

cius juvenis amiſerat, cruore tàm ſpoliata fuiſſe vaſa celebris Lowerus obſervavit, ut aſſumpta jura penitùs à vaſis reſorpta ex arterioſo vulnere integra dimanarint. Jam mors exanguem preſſo pulſat pede; manum verò auxiliatricem ſubminiſtrat ars hygiaſtica, & actione redditâ reviviſcunt artus, ſeroſi rubeſcunt humores, & cum ſanguinis rubore ſanitas ſenſim valida atque athletica reducitur.

Quid plura? Intrà pullorum & tenerioris agni vaſa, lenibus fluit undis roſeus amnis; dùm inter robuſtos arteriarum parietes, effero leoni, tigridique duræ nigricans arietat ſanguis.

Quàm intenſo gaudent ſanguinis colore quos natura toroſis donavit artubus, durus miles ac fortis athleta? *Ut atro ſanguine turgent heroum vaſa!* Dum ſanguis pallidus vix pulſat perreptans molles arterias muliercularum, quas inutili detinent otio vitæ deſidis turpes deliciæ.

Sic tenerrimos puerorum artus ferè lacteus irrorat humor, pubertatem ſequitur ruber, adoleſcenti fit rubicundior, viro perfecto ruberrimus æſtuat; ſubeunte demùm ſenectute gelidâ, rigentes inter ac inertes fibras ſanguis ægrè conficitur, vix neceſſariis ſufficit vitæ muneribus, ſero crudo & exundante diluitur, craſſâque lentâ & incommixtâ, ſi effuſus reſideat, tegitur gelatinâ; undè ſenilia ſputa, undè ſenilis in lethum vergens cachexia.

Nec minùs à temperamentis diſcrimen. Rutilus in vaſis nitet humor illi quem condecorat amata formoſo ſexui ſanguinea temperies. Phlegmaticis per laxiora vaſa lentiùs defluit palleſcens ſeroſus que ſanguis. Fervet in hominis biblioſi venis cruor ater, ſiccus, acris & quaſi reſinoſus. Prægreſſis exuſtis motibus, triſti deindè quiete ferè ſtagnat melancholicorum ſanguis plumbeus, parco dilutus ſero, craſſus, tenax, nigricans.

Inter morborum diſcrimina, ſua ſanguini non remanet coloris integritas. Alii quidem à vi vitæ nimis auctâ ducentes inflammatoriam craſim, illum exſiccant, inſpiſſant, atro colore inficiunt,

Contrà verò à lentâ virium proftratione, colle&tum chronicorum morborum agmen hujus-ce laticis colorem deftruit. Pallidus eft & decolor humor vitalis in chloreticis, cachecticis, hydropicis. Hanc demùm fulciuntur opinionem Halleri & Leeuwenhoeckii obfervata; eò, primus inquit, globuli fanguinis rubicundiores, quò animalia fortiora, eò pallidiores, quò debiliora : in frigidis animalibus, ait alter, flavefcit fanguis, in cochleis inertibus & aliis hujus-ce generis, albefcit.

Nemo igitur negare poterit ruboris in fanguine gradus à vitæ virium mutatione pendere, qui videat adeò intimè conjunctam effe hujus intenfitatem cum illarum actuofitate, ut iifdem gradibus quibus corpori decedit actio acceditve, humor ille fuo colore defraudetur aut niteat.

V.

VERUM, inquies, fanguis ferofus eft ac decolor apud quafdam hyftericas queis vis vitæ per vividiores infultus valdè intenditur. At vitæ vis & efficacia non tam in motuum impetu fita eft quam in ipforum æqualitate & conftantiâ; quæ quidem in fpafmodicis affectibus omninò infringitur, pulfu indice. Imò & quæ hyftericis maximè obnoxiæ funt malis, debili fibrâ, perverfis functionibus, læfâ digeftione, concoctione imperfectâ laborant, undè vitæ vitium arguitur. Quippè fenfus in illis acerrimus eft, fed actionis inertia maxima, nifi dùm infolitis concutiuntur motibus. Cùm autem in actionis fensûfque conjunctione conftet & in earum debitâ proportione ftabiliatur vita, non pleno fuo jure fruitur in hyftericis, veluti dimidiata, & agendi facultate non juftè ad fentiendi vim comparatâ.

Nec majoris eft momenti, ex infantûm mobilitate deductum argumentum, quorum exquifitus fenfus fibrarum robori nondùm acquifito non benè refpondet.

In fenibus verò etiamfi fibra durior fit, quiefcit iners vitæ vis, deficiente fentiendi facultate, ex quâ actionis regimen & incitamentum. Cùm igitur ad fanguinis colorem efformandum materies, quæcumque

ſit, impar eſſe demonſtretur, niſi illi concoquendæ & elaborandæ vis vitæ præfuerit : cùm præthereà hujus actioni auctæ ad amuſſim reſpondeat ruboris aucta intenſitas; & à virium proſtratione coloris depravatio atque abolitio dependeat, ſupereſt ut concludamus :

Ergò color ſanguinis à vi vitæ.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptiſta Michaël BUCQUET, Chemiæ Profeſſor & Cenſor Regius.

M. Franciſcus - Maria LEMOINE.

M. Joannes - Auguſtinus COUTAVOZ, Rei Herbariæ Profeſſor Deſignatus.

M. Joannes-Baptiſta-Eugenia DUMANGIN.

M. Thomas LEVACHER DE LA FEUTRIE.

M. Bertrandus DUPUY, Scholarum Profeſſor.

M. Bartholomæus-Tuſſanus LE CLERC, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Caſtelleto.

M. Ludovicus - Gabriel DUPRÉ, Sereniſſimi Condæi Principis Conſiliarius Medicus.

M. Antonius PETIT, in Horto Regio Anatomes & Chirurgiæ Profeſſor, è Regiâ Scientiarum Academiâ & Militarium Regni Noſocomiorum Inſpector.

Proponebat Pariſiis EDMUNDUS-JOACHIMUS BOURDOIS DELAMOTTE, Joviniaco-Senonenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus. Theſeos Auctor, A. R. S. H. 1777. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis F. A. QUILLAU, Univerſit. & Facultatis Medecinæ, Typographi, 1777.